

DE PARTICIPATIONE INTELLECTUALITATIS PURAE IN HOMINE SECUNDUM DOCTRINAM DIVI THOMAE AQUINATIS.

Dr Petrus Čiklič

(Continuatur)

CAPUT SECUNDUM: »INTELLECTUS PRINCIPIORUM«

Praesens caput tres articulos habebit: I. De participatione »intellectus principiorum« in homine; II. Utrum »intellectus« in homine sit alia potentia a ratione distincta?; III. »Intellectus-habitus primorum principiorum«.

Articulus I.

Iuxta doctrinam Angelici Doctoris tantummodo angelus intellectum purum creatum habet. Ille enim est unicus inter omnes creaturas, qui »secundum suam totam naturam intellectualis est«, et ideo simpliciter »intellectus« seu »mens« dicitur.¹

Homo autem »animal rationale« et non intellectuale proprie definitur.² Proprium enim homini est ut ad perfectam cognitionem veritatis pertingat ratiocinando, id est ex cognitis ad incognitas veritates discurrendo. Ita aliquis motus in operationibus eius intelligibilibus invenitur, qui proprie ad rationem pertinet.³ Ipsi enim specificè non convenit intellectus, sed ratio, quia rationem habet ut naturam propriam seu per proprietatem, intellectum vero per quamdam participationem tantum.⁴

¹ Cf. De malo, q. 16, a. 1, ad 14; I, q. 79, a. 1, ad 3.

² Cf. In I Sent., D. 25, q. 1, a. 1, ad 4.

³ Cf. De verit., q. 15, a. 1; II—II, q. 180, a. 6.

⁴ Cf. In II Sent., D. 3, q. 1, a. 6, ad 2. — »Per proprietatem autem dicitur esse aliquid in re aliqua, quod adaequatur et proportionatur naturae ipsius...; per participationem autem, quando illud quod attribuitur alicui, non plenarie invenitur in eo, sed deficienter, sicut sancti homines participative dicuntur dii.« — I, q. 108, a. 5. — »Est autem participare quasi partem capere; et ideo quando aliquid particulariter

Itaque autem »... sunt quaedam substantiae spirituales quae sine aliquo motu vel discursu statim in prima et subita sive simplici acceptione cognitionem obtinent veritatis; sicut est in angelis, ratione cuius intellectum deiformem habere dicuntur: quaedam vero sunt inferiores, quae ad cognitionem veritatis perfectam venire non possunt nisi per quemdam motum, quo ab uno in aliud discurrunt, ut ex cognitis in incognitorum notitiam perveniant; quod est proprie humanarum animarum. Et inde est quod ipsi angeli intellectuales substantiae dicuntur, animae vero rationales«. ⁵

Homo igitur non habet »plenitudinem intellectualis luminis, sicut angeli«, sed aliquid tantum de hoc lumine possidet seu participat, et ideo anima humana vocatur »rationalis« et non »intellectualis« et per discursum debet acquirere scientiam. Hoc quidem contingit »ex debilitate intellectualis luminis« in ea. Si enim haberet plenitudinem intellectualis luminis, sicut angeli, tunc non discurreret ex principiis in conclusiones, sed »statim in primo aspectu principiorum totam virtutem eorum comprehenderet, intuendo quidquid ex eis syllogizari posset«. ⁶

Qua ex ratione homo inter substantias intellectuales non ponitur; non enim habet »plenum actum intellectus ut sine inquisitione et imaginatione intelligere possit.« Tantummodo illa substantia in ordine intellectualium proprie ponitur et simpliciter intellectualis dicitur »cuius tota cognitio secundum intellectum est, quia omnia quae cognoscit subito et sine inquisitione sibi offeruntur: non autem ita est de cognitione animae, quia per inquisitionem et discursum rationis ad notitiam rei venit, et ideo rationalis dicitur«. ⁷

Quapropter »si quis velit proprie nominare hominem, dicet eum substantiam rationalem, non autem substantiam intellectualem, quod est proprium nomen angeli; quia simplex intelligentia convenit angelo per proprietatem, homini vero per participationem«. ⁸

recipit id quod ad alterum pertinet universaliter, dicitur participare illud.« In Boet. de Hebdom., lec. 2; cf. De anima, q. un., a. 6, ad 2; In I Metaph. lec. 10, n. 154.

⁵ De verit., q. 15, a. 1.

⁶ Cf. I, q. 58, a. 3.

⁷ Cf. In II Sent., D. 9, q. 1, a. 4; In II Sent., D. 3, q. 1, a. 6, ad 2.

⁸ I, q. 108, a. 5.

Proprie ergo loquendo homo habet, non intellectum, sed rationem et ideo animal rationale merito definitur.

Tamen, praeter rationem, habet homo etiam aliquam participationem intellectualitatis purae, et propterea quandoque etiam substantia intellectualis nominatur. Quamvis ergo »cognitio humanae animae proprie sit per viam rationis, est tamen in ea aliqua participatio illius simplicis cognitionis quae in substantiis superioribus invenitur, ex quo vim intellectivam habere dicuntur«. ⁹ Sunt enim aliqua quae homo statim naturaliter apprehendit, v. g. prima principia indemonstrabilia, quapropter ea intelligi dicuntur. ¹⁰ Nam »si aliqua sunt quae statim sine discursu rationis apprehenduntur, horum non dicitur esse ratio, sed intellectus: sicut prima principia, quae quisque statim probat audita«. ¹¹ Itaque nos »dicimur proprie intelligere... cum intelligimus illa quae statim nota sunt intellectui notis rerum quidditatibus, sicut sunt prima principia, quae cognoscimus cum terminos cognoscimus; unde et intellectus habitus principiorum dicitur«. ¹²

Invenitur ergo in homine praeter rationem etiam »intellectus principiorum«, quo homo statim, immediate, simplici intuitu prima principia cognoscit, ut fusius suo ostendetur loco. Ergo »supremum in nostra cognitione est, non ratio, sed intellectus«, ¹³ quo homo angelis quodammodo contiguatur.

Sed ut melius intelligatur quomodo et in quo gradu homo lumen intellectuale purum participet, seu quomodo naturae angelicae appropinquetur, S. Thomas adhibet doctrinam Pseudo-Dionysii Areopagitae expositam in 7 cap. de Divin. nomin., scilicet »quod divina Sapientia semper fines priorum coniungit principiis secundorum, hoc est dictu, quod inferior natura in suo summo attingit ad aliquid infimum superioris naturae..., quia illud quod est superioris naturae, non potest esse in inferiori natura perfecte, sed per quamdam tenuem participationem«. ¹⁴

⁹ De verit., q. 15, a. 1.

¹⁰ Cf. I, q. 58, a. 3.

¹¹ In III Sent., D. 35, q. 2, a. 2, sol. 1.

¹² De verit., q. a. 12.

¹³ I C. Gent., c. 57.

¹⁴ De verit., q. 15, a. 1.

Possumus enim, secundum doctrinam Pseudo-Dionysii, qui multa elementa sana neo-platonismi in philosophiam christianam introduxit, omnia entia creata ad quinque diversa genera contrahere, scilicet: angeli, qui proprie intellectum habent, homines, qui proprie rationem habent, animalia bruta, quae proprie sensationem habent, plantae, quae proprie vitam habent, et entia inanimata, quae substantiam habent.¹⁵ Inter has creaturas mirabilis conexio existit. Semper enim infimum supremi generis creaturarum contingit supremum inferioris generis. Ita quaedam infima animalia parum excedunt vitam plantarum— sicut v. g. ostrea, »quae sunt immobilia, et solum tactum habent«, et terrae in modum plantarum adstringuntur. Similiter omnes aliae creaturae ordinatae sic se habent ad invicem, nempe sicut corpora contiguata, quorum inferius in sui supremo tangit superius in sui infimo, et ita inferior natura attingit in sui supremo ad aliquid, quod est proprium superioris naturae, imperfecte illud participans. Ita enim Divina Sapientia coniungit fines superiorum entium principiis inferiorum.¹⁶

In alio loco ostenditur ratio huiusmodi participationis. In ordine enim creaturarum oportet, quod consequens creatura praecedenti assimiletur. Hoc autem nullo alio modo fieri potest, nisi ut inferior creatura participet aliquid de perfectione superioris. Sed »hoc quod inferior creatura de similitudine superioris participat, est supremum in inferiori, et ultimum in superiori, quia est deficientius receptum, quam in superiori sit.«¹⁷

Applicando hanc generalem doctrinam ad specialem casum participationis, quid inter naturam animae humanae et naturam angelicam existit, statim affirmat S. Doctor, quod in ordine creaturarum »primo sit angelus, et secundo sit rationalis anima.«¹⁸ Quod autem talis ordo existat, patet non solum ex eorum structura ontologica, sed etiam ex consideratione naturalis modi cognitionis angelicae ex animae humanae. Proprius enim modus cognoscendi naturae angelicae est quod veritatem cognoscat sine inquisitione et discursu, animae vero humanae, quod ad

¹⁵ Cf. D. Barbedette, P. S. S., Histoire de la philosophie, edit. 5, Paris, 1929, pp. 158—161.

¹⁶ Cf. II C. Gent., c. 68; De verit., q. 16, a. 1; III C. Gent., c. 49 et c. 97; I, q. 78, a. 2; q. 110, a. 3; I—II, q. 2, a. 8, ad 1.

¹⁷ Cf. In II Sent., D. 39, q. 3, a. 1; Expos. super lib. de Causis, lec. 30.

¹⁸ In II Sent., D. 39, q. 3, a. 1.

veritatem cognoscendam perveniat inquirendo, i. e. ab uno in aliud discurrendo.¹⁹

Nunc autem exurgit quaestio: quomodo anima humana quae rationalis est, seu melius quomodo homo-compositum ex anima rationali et corpore, contiguatur angelo qui intellectualis creatura et spiritus purus est, et simpliciter »intellectus« dicitur?²⁰

Ipsum S. Doctorem audiamus: »Oportet ergo, quod in anima rationali, quae angelo in ordine creaturarum contiguatur, sit aliqua participatio intellectualis virtutis, secundum quam aliquam veritatem sine inquisitione apprehendat, sicut apprehenduntur prima principia naturaliter cognita tam in speculativis quam etiam in operativis: unde et talis virtus intellectus vocatur, secundum quod est in speculativis, quae etiam secundum quod in operativis est, synderesis dicitur«. Et statim prosequitur: »Et haec virtus scintilla convenienter dicitur, quia sicut scintilla est modicum quid ex igne evolans, ita haec virtus est quaedam modica participatio intellectualitatis, respectu eius, quod de intellectualitate in angelo est, et propter hoc etiam superior pars rationis scintilla dicitur, quia in natura rationali supremum est.«²¹

Itaque ergo »... in intellectus simplici visione continuatur homo superioribus substantiis, quae intelligentiae vel angeli dicuntur, sicut animalia continuantur hominibus in vi aestimativa, quae est supremum in eis, secundum quam aliquid simile operibus rationis operantur.«²²

Anima ergo humana, quae angelo inferior est, secundum supremum sui, id est secundum »intellectum principiorum«, attingit infimum naturae angelicae. Intellectus enim principiorum in homine est sicuti scintilla quaedam ex infinito igne Intellectus divini evolans et in homine se collocans.²³ Ita homo

¹⁹ Cf. De verit., q. 16, a. 1.

²⁰ Cf. I, 54, a. 3, ad 1; q. 64, a. 1; q. 79, a. 1, ad 3.

²¹ In II Sent., D. 39, q. 3, a. 1; cf. etiam In I Sent., D. 3, q. 4, a. 1, ad 4; I, q. 89, a. 1.

²² In III Sent., D. 35, q. 1, a. 2, sol. 2, ad 1.

²³ »...supra animam intellectivam humanam necesse est ponere aliquem superiorem intellectum, a quo anima virtutem intelligendi obtineat. Semper enim quod participat aliquid, et quod est mobile, et quod est imperfectum, praexigit ante se aliquid quod est per essentiam suam tale, et quod est immobile et perfectum. Anima autem humana intellectiva dicitur per participationem intellectualis virtutis: cuius signum

saltem aliquid modicum de pura intellectualitate habet, respectu eius quod in angelo invenitur, et hoc modo naturae angelicae contiguatur. Ita enim a Sapientia divina hiatus ille, qui intercedere videtur inter naturam rationalem et pure intellectualem, tollitur.

Sic enim, secundum doctrinam S. Doctoris, quamvis anima humana sit »ultima in ordine substantiarum intellectivarum«, quia »minime participat de virtute intellectiva«²⁴, attamen »quantum ad id, quod in ipsa supremum est, aliquid attingit de eo quod proprium est naturae angelicae, ut scilicet aliquorum cognitionem subito et sine inquisitione habeat, quamvis quantum ad hoc inveniatur angelo inferior, quod in his veritatem cognoscere non potest nisi a sensu accipiendo«.²⁵ Homo enim, cognitis terminis, prima principia cognoscit operatione quasi angelica, id est statim, intuitive, sed differt ab angelis in hoc, quod terminos primorum principiorum »a sensu« accipere debet, ut postea videbitur. Licet ergo lumen animae humanae sit quasi »obumbratum, respectu luminis quod est in angelis«,²⁶ nihilominus invenitur in ea aliqua participatio illius luminis intellectualis, quod in substantiis superioribus invenitur, quam ob rem anima nostra »quandoque nomine intellectus, quasi a principali sua virtute«²⁷ nominatur. Cognitio primorum principiorum in nobis est aliquid altissimum nostrae scientiae et sic in supremo nostrae naturae attingimus quodammodo infimum naturae angelicae. Sicut enim »intellectus noster se habet ad ista principia, sic se habet angelus ad omnia quae naturaliter cognoscit... Unde sicut nos sine discursu principia cognoscimus simplici intuitu, ita et angeli omnia quae cognoscunt«; et ideo sicut angeli simpliciter intellectuales dicuntur, ita etiam in nobis simplex cognitio principiorum »intellectus« di-

est, quod non tota est intellectiva, sed secundum aliquam sui partem... Oportet ergo esse aliquem altiorem intellectum, quo anima iuvetur ad intelligendum... (Hoc autem est) ipse Deus, qui est creator animae... Unde ab ipso anima humana lumen intellectuale participat, secundum illud Psalmi IV: Signatum est super nos...«. I, q. 79, a. 4. — »Ipsum esse est actus ultimus qui participabilis est ab omnibus...« De anima, q. un., a. 6, ad 2.

²⁴ In II metaph., lec. 1, n. 285.

²⁵ De verit., q. 16, a. 1.

²⁶ De verit., q. 5, a. 8.

²⁷ I, q. 79, a. 1, ad 1.

citur.²⁸ Nam sicut angelus in cognitione sua speculativa »ipsam rerum veritatem simpliciter et absolute intuetur,²⁹ similiter etiam homo prima principia cognoscit: »Hoc autem ad naturam angelicam pertinet, ut actu habeant notitiam omnium quae naturaliter scire possunt; sicut nos naturaliter actu habemus notitiam primorum principiorum«. Sed dum nos ex his principiis ad conclusiones discurrendo procedere debemus, angeli »in ipsis principiis intuentur omnes conclusiones quae ad naturalem eorum cognitionem pertinent. Et ideo sicut immobiliter nos se habemus in cognitione primorum principiorum; ita intellectus eorum immobiliter se habet circa omnia quae naturaliter cognoscit«. ³⁰

Homo ergo »intellectum« habet, quo prima principia statim, simplici intuitu, immobiliter, sine inquisitione, sine discursu... cognoscit; horum enim principiorum indemonstrabilitatem »non est ratio, quia non possunt per rationem probari, sed statim per se innotescunt«. ³¹ Sic igitur »superius hominis attingit... infinum angelicae naturae per quamdam similitudinem«. ³²

(Continuabitur)

²⁸ De verit., q. 8, a. 15.

²⁹ De verit., q. 16, a. 1.

³⁰ De malo, q. 16, a. 5; cf. I, q. 58, a. 3; I, q. 79, a. 8.

³¹ In VI Ethic., lec. 7, n. 1214.

³² I—II, q. 2, a. 8, ad 1.